


Lunae die 16° m.IUNII a° 1986°
a.d.XV I Kalendas Iulias MCMLXXXVI



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Tervueren, 76-Tervurenlaan - 1040 BRUXELLIS
Tel: 02/7345542
Redactrices: Francisca DERAERDT et Diane LICOPPE

DE THESEO.

Illo tempore, multa certamina athletarum fiebant. Interfuerunt aliquando iuvenes et Cretenses et Athenienses. Cum filius Minois, regis Cretae, vicisset, Athenienses irati eum interfecerunt. Qua de causa Minos, mortem filii sui dolens, vindictam exegit: imperavit ut, unoquoque anno, urbs Athenae mitteret ^{septem} pueros ^{septemque} puellas qui a Minotauro, monstro illo terrifico, ^{repleant} ^{repleantque} ^{indevocentia} ederentur.

Theseus erat princeps Atheniensis. Cum haec audivit, voluit ipse monstrum adire, Minotaurum interficere et patriam liberare. Profectionis die, pater eius Aegeus queritans in litore manet. Navis, nigris propter tristitiam velis, filium eius ad maxima pericula ducit. Aegeus iubet gubernatorem vela alba explicare si cum filio, vela nigra si sine filio reveniat, ut ipse hoc e longinquo scire possit.

Vobis nondum dixi Minotaurum in magno labyrintho relictum esse. Celeberrimus architectus illius temporis extruxerat tot circuitiones, tot cubicula, tot flexus itineris ut quicumque miser intraverat exire non posset fieretque monstri victima.

Cretenses, cum audiverunt navem Athenis advenisse, ad iuvenes spectandos convenerunt. Inter spectatores erat filia Minois, Ariana. Pulchrum generosumque iuvenem vidit; eum sua sponte se dedisse audit. Statim in amore eius cadit. Voluntatem suam intendit: illum pulchrum principem servabit ⁱⁿ ^{et} ^{ei} ^{que} ⁱⁿ ^{devocentia} Theseo dat filium longum cuius ipsa unam extremitatem, hic alteram teneat. Hunc filium sequens, ex labyrintho revenire facile poterit.


Theseus fortiter domum monstri intrat, et, Minotauro occiso, rursus ad Ariam amicosque suos currit. Illa victoria celebrata, vela ventis dant. Iuvenes Athenas redeunt. Sed propter tempestatem debent in insula Naxo morari. Cum Ariana defessa ibi requiescat, Theseus eam in insula relinquit. Quare? Fortasse quia alteram filiam Minois, nomine Phaedram, amabat. Nihilominus sine puella miserrima proficiscuntur. Mox nautae litus Atticae aspiciunt. Aegeus eos exspectat. Sed - horribile dictu! - gubernator oblitus est vela alba ostendere. Aegeus, qui propter vela nigra putat filium suum mortuum esse, se in mare proicit. Qua de causa illud mare nunc "Aegeum mare" appellamus.

Haec fuit prima poena ingratae Thesei. Sed aliter etiam punitus est: quod in proximo numero Melissa vobis narrabo.

Rudens

"Nomen Arcturus est mihi. Splendens stella candida sum. Noctu sum in caelo clarus atque inter deos, inter mortales ambulo interdus."

"Nunc huc qua causa veni veni argumentum eloquar. Primundum huic esse nomen urbi Diphilius Cyrenas voluit."




"Illic habitat Daemones, senes qui huic Athenis exul venit, hau malus. Huic filiola virgo perit parvola."


"Eam de praedone vir mercatur pessumus. Is eam huc Cyrenas leno advexit virginem."



"Adolescens quidam civis huius Atticus eam vidit ire e ludo fidicinio domum. Amare coepit."




"Ad lenonem devenit, minis triginta sibi puellam destinavit datque arrabonem et iure iurando alligat."



"Is leno, flocci non fecit fidem neque quod iuratus adolescenti dixerat."



"Ei erat hospes, Siculus senex, urbis proditor. Is illius laudare in formam virginis et aliarum itidem quae eius erant mulierculae."




"Infit lenoni suadere ut secum simul eat in Siciliam; potesse ibi eum fieri divitem."



"Persuadet. Navis clanculum conducitur. Quicquid erat, noctu in navem comportat domo leno."



"Adolescenti alii narrant ut res gesta sit; lenonem abiisse. Ad portum adolescens venit, illorum navis longe in altum abscesserat."



"Ego quoniam video virginem asportarier, tetuli ei auxilium et lenoni exitium simul: increpui hibernum et fluctus movi maritimos..."

STUDENTES "MUSICOLOGI".

Tres mei condiscipuli sunt hodie mecum, in meo cubiculo; venerunt ut audirent mecum aliquot phonodiscos; cuncti enim quattuor sumus amatores musicae, nec raro simul congregamur ad audienda vel "nocturna" vel "sonatas" vel "concertus" vel symphonias.

"Heri - incipio - emi cuncta Nocturna Chopiniana, quae ludit ille exquisitus artifex, cui nomen Pollini".

Vincentius : "Procul dubio, Chopin est artifex qui mihi videtur merere maxime titulum, ut dicunt, "romantici". Cum audio eius compositiones (Cassiod.), mihi temperare non possum quin commovear vehementer. Ille videtur habere secretum convertendi sensus animi in sonos, qui tangunt impense corda audientium".

Lucius : "Ego audiavi abhinc paucos dies compositionem clavichordicam illius notissimi Stravinski. Mihi visa est esse perfectum oppositum musicae Chopiniana. Erat res geometrica, quae videbatur exoriri tantummodo ab intellectu, architectonica et gelida quasi esset moles glaciata".

Ego : "Hoc est optimum exemplum ad explicanda verba quae leguntur in mea Historia musicae (est donum mei avunculi in meo die onomastico). Auctor affirmat compositores saeculi vicesimi sibi proposuisse ut excluderent, in componenda musica, "vilem illum musculum", id est "cor", unice dediti ad sequenda praecepta limpidi et gelidi intellectus".

Lucius : "Ego debeo fateri animum meum quodammodo pertinere ad saeculum decimum nonum, saeculum quod vocant "romanticum". Nam non modo mihi placent penitus melodramata auctorum quales sunt Verdi vel Donizetti vel Pucini, sed numquam defatigor vel satior audire vel nostrum Chopin vel Schumann vel Mendelsohn vel Liszt".

Vincentius : "Quod attinet ad Liszt, habesne phonodiscum notissimi Mephistovalzer ? Quotiens illud audiavi, semper admiror subtile ingenium compositoris, qui mihi videtur voluisse exprimere subsannationes et cachinnos principis diabolorum, sed etiam, interdum, secretam maestitiam et intimum desiderium pardisi amissi".

Paulus : "Sed nemo loquitur de meo inoblitterabili Beethoven ? Nullus enim musicus composuit symphonias comparabiles cum tertia, quam vocant "heroicam", et cum quinta, quam vocant "fati", ex themate initii, quod suggerit imaginem alicuius qui pulset vehementer ad ianuam".

Ego : "Sed iam satis, amici, ostendimus nostram exquisitam eruditionem de re musica (iocans dico). Est iam tempus ut aliquis phonodiscus loquatur ipse quoque. Et ego propono ut audiamus unum phonodiscum pro unoquoque auctore de quo locuti sumus. Consentitisne ?"

Omnes : "Placet !"

Ego : "Tu, Paule, adiuva me in seligendis phonodiscis. Sume, ante omnia, "Lallum" Chopinianum in Re bemolli, postea sonatam pro clavichordio ipsius Stravinski, de qua locuti sumus. Neglegamus melodramata, praeter praeludium Verdianum "Aidae", sic blandum et patheticum (Macr.). Quoad Schumann, audiemus "Carnaval", quoad Mendelsohn, audiemus musicas scaenicas pro tragedia Scespiriana, cui titulus "Somnium noctis mediae aestatis", quas praecox illud ingenium composuit cum vix expleverat septimum decimum annum. Quoad Liszt, audiemus, patet, Mephistovalzer, et postea concludemus rem sublimi ac vehementi Symphonia quinta in do minore maximi Beethoven.

Guido ANGELINO.

Monendum est mendam typographicam esse in superiore Melissae Iunioris numero sub titulo "Rudentis narratio depicta". Nam nomen nostri iuvenis cooperatores, qui scaenas lineamentis describit, est Philippus VERHEYEN non Verheyden.

LUDUS : responsa

